

scium, omnipotentem & omnipraesentem. Quae oppido videri poterant bene dicta, & admodum acceptabilia, nisi suopte indicio se proderet HALLVS, qua mente hoc concedat, nempe non pura. Dum enim dicit quidem, *Jesum talem esse in utraque natura*, formulam vero orthodoxam *Juxta divinam & humanam naturam*, tanquam pure scholasticam, manifestis verbis deinceps rejicit, revera *humanam naturam vult exclusam*, aut saltem includere non audet, sed orationem illam ita vult intellectam, ut τὸ IN VTRAQVE NATVRA referat ad subiectum, hoc sensu: *Dominus Jesus, qui duabus naturis constat, est omnipotens.* Tandem enim scribit: *Sat erit homini Christiano, ut sciat, se habere Servatorem Θεούθρωπον, cui omnia haec attributa vere competant.* Sed & Theologi ipsi habent, in quo acquiescant, dummodo concessum hoc utrinque fuerit, etiam H. N. personaliter omnisciam, omnipraesentem, omnipotentem esse, quod nos omnes rotunde profiteri non dubitamus. Vbi rursus post alia carecta se recondit, & sub illa Phrasī, *personaliter omnipraesentem esse humanam Naturam*, quae alioquī orthodoxe sonat, revera nihil aliud intelligit, *quam talem personam omnipotentem, quae praeter naturam divinam, juxta quam sit omnipotens, etiam aliam habeat naturam conjunctam*, cui vero propter finitatem illud attributum non competit, cum tamen *neutram naturam* ab attributis omniscientiae, omnipraesentiae, omnipotentiae, adorabilitatis excludat Scriptura, cum hoc discrimine, quod quae habet divina natura *originaliter & formaliter*, humana habeat *participative & communicative* *κατα χοίου*, sicut illa possidet *κατ' ἑταῖρον*, Coloss. II. 9. Adeo non sufficit, cedere generales formulas, nisi constet de mente recipientium.

### Momentum III.

**P**osita in Alloquio differentia doctrinarum  
dici nequit Controversiam circa Personam  
Chri-